

2 Paldigen.] Spaldig.
3 Lyconen.] Linconen.

III. INNOCENTIUS IV. in Generali Concilio Lugdunen. [an. 1245. in Gallia.]

Advocatus vel Procurator principalis cause, in causa appellationis testificari non potest. Juramentum autem, presumptione faciente pro appellante, sibi deferri non debet, nisi iudici videatur. Dominicus.

Romana Ecclesia: Et infra. In appellationis causa, is, qui appellantis Procurator vel Advocatus in priori iudicio fuerat, non recipiatur in testem. Neque indistincte ipsi appellanti, presumptione faciente pro eo, deferatur etiam juramentum: sed tunc cum inspectis personarum & ipsius cause circumstantiis, id fuerit faciendum.

DE JURE JURANDO.

TITULUS XI.

I. NICOLAUS III. [c. an. 1278. Roma.]

Prelati, Canonici, Rectores, & Officiales locorum, qui jurant statuta, & consuetudines loci vel Ecclesie servare, preterea salis juramenti non obligantur ad illicita, impossibilia vel obviantia Ecclesiasticæ libertati: nec ad ea debet intentio sua referri. Joan. And.

De intellectu, vide Decretum in rub. de Const. 1. feci.

CONTINGIT b in nonnullis Ecclesiis de earum consuetudine observari, quod nec ipsarum Prelati (cum primò ad Ecclesias ipsas accedunt) admittuntur, nec Canonici (cum de recipiendis ibidem novis Canonici agitur) aliter recipiuntur in ipsis: nisi iurent statuta & consuetudines ipsarum Ecclesiarum, scripta & non scripta inviolabiliter observare. Inter Laicos etiam in multis civitatibus, castris, & terris, in suis Potestatibus, Rectoribus vel Officialibus assumendis, consuetudinis moribus irrepit: quod Potestates, Rectores, & Officiales hujusmodi, ad potestarias, rectorias & officia eadem (nisi prius servatos se statuta ipsorum locorum clausa iuraverint) nullatenus admittantur. Quia verò in statutis consuetudinibusque supradictis interdum aliqua reperiuntur illicita seu impossibilia, vel obviantia Ecclesiasticæ libertati (ne sub tali generalitate iurandi, sic iurantibus peccandi occasio præbeatur, cum juramentum non fuerit, ut esset iniquitatis vinculum, institutum) hac generali constitutione animarum periculis oblitescere cupientes, præcipimus a quibuscunque scientibus contineri in prædictis consuetudinibus & statutis, illicita vel impossibilia vel libertati Ecclesiasticæ obviantia, juramenta hujusmodi aliquatenus non præstari. Et talia juramenta ea intentione faciendi, vel facta, ut etiam illicita vel impossibilia, seu Ecclesiasticæ libertati obviantia observentur (cum etiam sub tali intentione præstari non possint absque divine maiestatis offensa) decernimus in hujusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati Ecclesiasticæ obviantibus, non servanda: quin potius pro animarum salute, si sub forma prædicta vel simili aliquos ignorantes prædicta illicita seu impossibilia vel libertati Ecclesiasticæ obviantia jurare contigerit, ad observanda duntaxat licita, possibilia & non obviantia libertati Ecclesiasticæ, juramentum referri debet intentione. Declaramus quoque juramenta sub hujusmodi generalitate qualitercunque, & sub qualicunque verborum forma præstanda, ad licita, possibilia, & libertati Ecclesiasticæ non obviantia tantum extendi: ipsosque iurantes ad alia per præstationem juramenti hujusmodi non teneri.

An sit differentia iurare simpliciter, obviare statuta, vel contenta in statutis, vel prout in statutis, vide Fel. in c. cum accessissent, de Const.

k al. quacunque. l He generalis Principis confirmatio tribuitur ad illicita, & alia de quibus in tex. Alex. conf. 59. vol. 1. & Decr. Con. 172.

II. BONIFACIUS VIII. [c. an. 1298. Roma.]

Per Ecclesiasticum Judicem ordinarium loci, compellitur Judex secularis Ecclesiasticam consuetudinem, quod ad provisionem animarum statutum est, servare.

Let mulieres, que alienationibus dotium & donationum propter nuptias consentiunt non contravenire, proprio juramento firmantes servare juramentum hujusmodi non vi nec dolo præstitum, de jure Canonico teneantur; quia tamen quidam Judices seculares eas contra præfatas alienationes audiunt, quamvis eis constet legitime de hujusmodi juramento. Nos animarum periculis obviare volentes, eisdem Judicibus ad servandum hoc jus Canonicum, per locorum Ordinarios censuram Ecclesiasticam decernimus compellendos. PITH. De jure Canonico. Cap. 25. ext. eod. tit.

m Vide nota per Roma. sing. 498. incip. ubi juramentum, & 499. incip. Tu feci, & per Jo. And. in c. cum Lincen. de jure com. p. ad Fel. in c. 1. ext. de jure ju.

III. IDEM. [c. an. 1298. Roma.]

Electus post Sacramentum ponens, vel respondentis contraria directè, nisi rationabiliter excusetur, velut perjurus à confirmatione repellitur. Idem si hoc fecerit Procurator ipso mandante, vel ratum habente, vel non revocante. Hoc dicit. Joan. And.

Um in positionibus super electionis tuæ negotio, post juramentum in causa præstitum, à te datis, seu responsonibus, quas ad positiones tui adversarii fecisse dignosceris, repertiatur contrarietas manifesta: tibi tanquam perjurò (nisi

justa causa & rationabilis te excuset) super ipsa electione perpetuum silentium imponi debet. Idem fiet si (te expressè mandante, vel etiam ex post facto sciente, ac ratum habente, seu non revocante) positiones, aut responsones hujusmodi contrarias tuo nomine tuus fecerit Procurator.

DE EXCEPTIONIBUS.

TITULUS XII.

I. INNOCENTIUS IV. in Concilio Lugdunen. [an. 1245. in Gallia.]

Sex sunt ista hujus Decretalis. Primo ponit arengam, & jus antiquum, & constitutionis causam. Secundo dicit, quod reus, qui contra actorem de excommunicatione excipit, ut ipsum repellat ab agendo, debet ipsius excommunicationis speciem, & nomen excommunicatoris exprimere, & eam intra octo dies probare: alias Judex procedet in causa, & illum in expensis condemnabit. Tertio statuit, quod si iterum objiciatur, & probetur eadem, vel alia excommunicatio, actor repellitur: sed que acta sunt, valent. Quarto, quid ultra duas vias hac exceptio non opponatur, nisi ex causa: Quinto, quod si opponitur post rem judicatam, impeditur executio, sententia nihilominus valet. Sexto dicitur, quod Judex publicè excommunicationem, reo non opponente, ex suo officio debet ab agendo repellere. Joan. And.

PIA consideratione statuit mater Ecclesia, quod majoris excommunicationis exceptio, in quacunque parte Judiciorum opposita, lites differat, & repellat agentes: ut ex hoc magis censura Ecclesiastica timeatur, communionis periculum evitetur, contumacia vitium reprimatur, & excommunicati (dum à communibus actibus excluduntur) robore suffulti ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur: sed hominum succrescente malitia quod provifum est ad remedium, tendit ad noxiam. Dum enim in causis Ecclesiasticis frequentius hæc exceptio per malitiam opponitur, contingit interdum deferri negotia, & partes fatigari laboribus & expensis: proinde (quia morbus iste quasi communis irrepit) dignum duximus communem adhibere medelam. Si quis igitur excommunicationem opponit, speciem illius, & nomen excommunicatoris exprimat, sciturus eam rem se deferre debere in publicam notionem, quam intra octo dierum spatium (die in quo proponitur minime computato) probare valeat aperitissimis documentis. Quod si non probaverit, Judex in causa procedere non omittat: reum in expensis, que actor ob hoc diebus illis se fecisse docuerit, præhabita taxatione condemnans. Si verò postmodum instantia durante iudicii, & probationis copia succedente, de eadem excommunicatione, vel alia excipiat iterum, & probetur; actor in sequentibus excludatur, donec meritis absolutiois gratiam obtinere: iis, que præcesserunt nihilominus in suo robore duraturis. Proviso, quod ultra duas vias hæc non opponatur exceptio: præterquam si excommunicatio nova emerferit, vel evidens, & prompta probatio superenerit de antiqua. Sed si post rem judicatam talis exceptio proponatur: executionem impedit, sed sententia, que præcessit, non minus robur debitum obtinebit; eo tamen salvo, ut si actor excommunicatus sit publicè, & hoc Judex noverit, quandoquocunque, et si de hoc reus non excipiat, Judex ex officio suo actorem repellere non postponat.

PITH. De ferri negotia.] Deferre, cap. 5. sup. de resit. spoliat.

II. BONIFACIUS VIII. [c. an. 1298. Roma.]

Exceptio rei judicata per Ecclesiasticum Judicem admitti debet in foro seculari, & e converso. Joan. And.

Um quidam seculares Judices (dum coram eis excipiuntur de re per Ecclesiasticum Judicem judicata, in casu, quo ad eum pertinet cognitio de consuetudine, vel de jure) reculent excipientes audire, in derogationem jurisdictionis Ecclesiasticæ & contemptum. Decernimus ut per censuram Ecclesiasticam ab iniquitate coercerentur hujusmodi, & ad admittendum exceptionem eandem, ubi alias de jure debet admitti, à locorum Ordinariis compellantur. Similiter Ecclesiastici Judices, si coram ipsis excipiuntur de re per secularem Judicem judicata, exceptionem ipsam admittant, in iis, que animarum periculum non inducunt: per Superiores suos, nisi fecerint, animadversione debita castigandi.

DE PRESCRIPTIONIBUS.

TITULUS XIII.

I. BONIFACIUS VIII. [c. an. 1298. Roma.]

In prescriptionibus sufficit bona fides, ubi jus committat, vel prescriptio non est contra prescribentem, alias debet

De intellectu, vide Coart. in c. quoniam, de pac. l. 6. in 3. par. relictio. §. 3. & Lud. Gom. in reg. Can. cellaria, de Annali post. fore q. 44. al. & communio.

Sed si unum dies esset feriatum, an talis inter octo esset computandus. Docet Fel. in c. f. de Except.

Nota quod non sequitur, iste est publicè excommunicatus, ergo Judex scit. Vide §. Notandum. 2. q. 1. Ancl. Font. Vide Dec. in c. parati. de appal.

allegari titulus & probari, nisi sit prescriptio, cuius contrarium non extat memoria. Hoc dicit. Joan. And.

PISCOPUM, qui Ecclesias, & Decimas, quas ab eo repetit, proponit (licet in tua sint constituta Diocesi) se legitime prescripisse, allegare oportet (cum jus commune contra ipsum faciat) hujusmodi prescriptionis titulum, & probare. Nam licet ei, qui rem prescribit Ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus commune, vel contra eum prescriptio non habeatur, sufficit bona fides: ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel habeatur prescriptio contra ipsum; bona fides non sufficit; sed et necessarius titulus, qui possessori causam tribuat prescribendi; nisi tanti temporis allegetur prescriptio, cuius contrarium memoria non extat.

An sufficit titulus putativus, docet Ab. & Fel. in c. de quart. & in c. Auditus, de prescrip.

PITH. Necessarius titulus.] Sine quo vix prescribitur bona fides. L. ubi. C. Unde vi.

II. IDEM [c. an. 1298. Roma.]

Privatus ipso jure, vel per sententiam, bonis, que tenet à Romana, vel aliis Ecclesiis, illa minori spatio centium annorum contra Romanam, vel quadraginta contra alias non prescribit. Filii autem Hereticorum, qui Catholici putabatur, bona paterna contra Romanam, & alii Ecclesias prescribunt, spatio quadraginta annorum, & idem in extraneis. Joan. And.

Siqui (exigentibus culpis, vel excessibus ab eisdem commissis) bonis, que à Romana, vel ab aliis tenent Ecclesiis, sint per sententiam, vel ipso jure privati: statui-mus, ut in apprehendis, vel occupandis, postea quandoque bonis eisdem, nullus (licet leges humane super hoc alia tempora statuerent videantur) ipsis Ecclesiis temporis lapsus obstat, nisi contra ipsam Romanam Ecclesiam centenario, vel contra Ecclesias alias quadragenario prescriptio legitime sit completa. Si post mortem Hereticorum (qui dum viverent Catholici putabantur) bona ipsorum à Catholicis eorum filijs, vel nepotibus, aut extraneis quibuscunque, spatio xx. annorum fuerint bona fide possessa: sancimus eos super bonis hujusmodi (etiam si ad Romanam pervenire deberent Ecclesiam) in hoc casu non esse ulterius molestandos; quamquam illi, quorum bona fuerant, nunc detegantur Heretici extitisse.

De intellectu, Joan. Fab. Inst. de us. & reb. s. f. c.

DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

TITULUS XIV.

I. INNOCENTIUS IV. in Concilio Lugdunen. [an. 1245. in Gallia.]

Judex, qui contra justitiam, & contra conscientiam aliquid in iudicio fecerit in gravamen Partis, per gratiam, vel per sordes; condemnandus est Parti læsæ in affirmationem litis; & per annum est suspensus, & perpetuo, si medio tempore ingerat se Divinis; nisi Papa cum ipso dispenderit. Joan. And.

Ux Eterni tribunal Judicis illum reum non habet, quem injustè Judex condemnat, testante Propheta, nec damnabit eum cum iudicabitur illi: caveant Ecclesiastici Judices, & prudenter attendant, ut in causam proceclibus nil vindictæ odium, vel favor usurpet; timor exulet, premium aut expectatio præmi justitiam non avertat; sed iteram gestent in manibus, lances appendant æquo libræque, ut in omnibus que in causis agenda fuerint, præcedant in concipiendis sententiis & ferendis, præ oculis habeant solum Deum; illius imitantes exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingressus ad Dominum reterebat, ut secundum eger imperium iudicaret. Si quis autem Judex Ecclesiasticus, Ordinarius, aut etiam Delegatus, famæ suæ prodigis, & proprii persecutor honoris, contra conscientiam, & contra justitiam in gravamen Partis alterius in iudicio, quocunque fecerit per gratiam, vel per sordes: ad executionem officii per annum noverit se suspensum, ad æstimationem litis Parti quam læserit, nihilominus condemnandus: sciturus, quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se Divinis, irregularitatis laqueo se involvet, secundum Canonicas functiones; à qua non nisi per Summum Pontificem poterit liberari; falsis aliis Constitutionibus, que Judicibus male judicantibus poenas ingerunt, & infligant. Dignum est enim, ut qui in tot præsumit offendere, poena multiplici castigetur.

Vide Do. in ex. fin. de Cle. excom. nisi. Et quid sit irregularitas, & unde simpliciter originem. Do.

II. IDEM, facto præfate Concilio, ad memoriam sempiternam. [an. 1245. in Gallia.]

Papa Imperatorem deponere potest, ex causis legitimis. H. d. secundum Paulum.

AD Apostolica Dignitatis: & infra. Sanè cum dura querarum commotio nonnullis professionis Christianæ Provincias diutius afflixisset: Nos ad Federicum præcipuum Principem Secularem hujusmodi diffensionis & tribulationis auctorem, à felicitis reuodationis Gregorio Papa IX. Predecessore nostro, pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, & speciales Nuncios, & magnæ auctoritatis viros, videlicet Venerabiles Fratres P. Alba. & Hu. Sabin. Episcopos; ac dilectum filium Gulielmum Basilicæ xij.

X G.

Apostolorum Presbyterum Cardinalem, qui salutem zelabantur ipsius; duximus destinandos: facientes sibi proponi per ipsos, quod nos & Fratres nostri, quantum in nobis erat, pacem per omnia secura habere; necnon cum omnibus hominibus optabamus, parati sibi pacem & tranquillitatem dare, ac mundo etiam universo. Et quia Prælatorum, Clericorum, omniumque aliorum quos detinebat captivos; & omnium tam Clericorum, quam Laicorum, quos ceperat in galeis, restitutio poterat esse pacis plurimum inductiva, eum, ut illos restitueret (cum hoc idem, tam ipse, quam sui Nuncios, antequam ad Apostolatus vocati essemus officium, promississent) rogari & peti ab ipso fecimus per eosdem, ac proponi insuper, quod iidem pro nobis parati erant audire, & tractare pacem, ac etiam audire satisfactionem, quam facere Princeps vellet de omnibus pro quibus erat vinculo excommunicationis adstrictus; & offerre præterea, quod si Ecclesia eum in aliquo contra debitum læserat (quod non credebatur) parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare. Et si diceret ipse, quod in nullo contra justitiam læserat Ecclesiam; vel quod nos eum contra justitiam læsissemus; parati eramus vocare Reges, Prælatos, & Principes, tam Ecclesiasticos, quam Seculares, ad aliquem tutum locum, ubi per se, vel per solemnem Nuncios conveniret: eraque parata Ecclesia, de consilio Concilii, sibi satisfacere, si eum læsisset in aliquo; ac revocare sententiam, si quam contra ipsum injustè tulisset, & cum omni manufactura & misericordia (quantum cum Deo & honore suo fieri poterat) recipere de injuriis & offensis ipsi Ecclesie, siquæ per eum irrogatis satisfactionem ab eo volebat, & omnes amicos suos, sibi que adherentes, in pace ponere, plenaque securitate gaudere, ut nunquam hac occasione possent aliquod subire discrimen. Sed licet sic apud eum pro pace patris monitis, & precum curarem insisterent lenitate: idem tamen Pharaonis imitatus duritiam, & obturans, & more aspidis, aures suas, preces hujusmodi & monita, elata obstinatione, ac obstinata elatione desepit. Propter quod non valentes absque gravi offensa Christi ejus iniquitates amplius tolerare, cogimur, urgente nos conscientia, jure animadvertere in eundem. Et ut ad præfens de ceteris ejus scelerebus tacemus, quatuor gravissima (que nulla postuor tergiversatione celari) commisit. Dejeravit enim multoties, pacem quandam inter Ecclesiam & Imperium reformata, temerè violando: & infra. Perpetravit sacrilegium, capi faciens Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesie, ac aliarum Ecclesiarum Prælatos, & Clericos Religiosos, & Seculares venientes ad Concilium, quod idem Prædecessor noster duxerat convocandum: & infra. De heresi quoque, non dubis & levibus, sed diffidibus & evidentiis argumentis, suspectus habetur: & infra. Præter hæc, Regnum Sicilia (quod est speciale patrimonium Beati Petri), & idem Princeps ab Apostolica Sede tenebat in feudum) jam ad tantam in Clericis & Laicis exinanitionem servitutemque redegit, quod eis penè penitus nihil haberentibus, & omnibus exinde ferè probis eictis, illos, qui remanserant ibidem sub ferri cuius conditione vivere, ac Romanam Ecclesiam (cujus sunt homines principaliter & yassali) offendere multipliciter, & hostiliter impugnare compellit. Possit etiam merito reprehendi, quod mille quidem fartorum annuum pensionem (in qua pro eodem Regno ipsi Ecclesie Romanæ tenebantur) per novem annos, & amplius, solvere prætermisit.

Vide Specul. de Com. et. f. l. ad 6. Fel. in c. cum sit, de For. Comp.

In quodam manuscripto. Item hæc duo verba, contra debitum.

al. convenirent.

al. ab ipso. Vid. c. Mantare. et. q. 12. Tamen. Et l. Si vero. §. fin. Bar. in l. Si. ff. de verb. obi. Fon. al. obturantis.

Adde cap. Mandata. & ibi Doct. de prescrip. Et in c. 1. 94. dist. de Prescrip. Et in c. 1. Romani. de Jur.

Math. 16.

Nota quod Dignitates Seculares de jure plene non possunt absque dispensatione licet fecerit in Ecclesiasticis, de quo in c. 1. de Const. Et c. de Nunti. de Prescrip. al. & decernendo. Id. absque mentione. Ita Dec. in c. Reprehensibilis. De Ap. Conf. 138.

Nos itaque super præmissis, & quampluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum Fratribus nostris, & sancto Concilio deliberatione præhabita diligenti (cum Jesu Christi vices, licet immeriti teneamus in terris, nobisque in B. Petri persona sit dictum: Quocunque ligaveris super terram, ligatum erit & in caelis) memoratum Principem, qui se Imperio & Regnis, omnique honore & dignitate reddidit tam indignum; quoque propter suas iniquitates adeo ne regnet vel imperet, est abjectus, suis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore ac dignitate privatum à Domino ostendimus; denunciamus, & nihilominus sententiando privamus: omnes qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, à juramento hujusmodi perpetuo absolventes, auctoritate Apostolica frimere inhibendo, ne quosquam de cetero sibi tantum Imperatori vel Regi, pareat & intendat: decernendo quoslibet, qui ei deinceps velut Imperatori vel Regi consilium vel auxilium præstituerint, seu favorem, ipso facto excommunicationis sententia subiacere. Illi autem, ad quos in eodem Imperio Imperatoris spectat electio, eligant liberè Successorem.

De præfate Sicilia Regno providere curabimus cum eorumdem Fratrum nostrorum consilio, sicut viderimus expedire.

PITH. Ad Apostolica Dignitatis, &c.] Edita est integra cum epistolis Petri de Vineis, pag. 61. Antonin. Florent. part. 3. tom. 19. cap. 5. §. 1. Matth. Paris. pag. 904.

Sicut viderimus expedire.] V. C. addit: Datum Lugduni 17. Kal. Augusti. Pontificatus nostri anno 3.

III. IDEM Præceptori Hospitalis S. Joannis Hierosoly. in Hispania; & Commendatori, ac Fratribus domus de Curvaria, Hospitalis ejusdem. [c. an. 1250. Romæ in Hispaniam.]

Qui petit rem certam causâ expressâ, si illam causam non